Quelle: http://manuscripta.at/?ID=506
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

audaciam presumptionis sue qua se precipitaverunt ire in illud. Manifesta sunt hec.
Quanta enim illi excellentis ingenii monimenta reliquerunt. vel tam multa
investigatione secreta nature et abdita rerum conditarum prosecuta sunt. ut ipsam
illorum efficatiam omni studio preferendam estimemus. legimus artes. et studia. et di
sciplinas. et rationum precepta plurima. que illi ingenio suo et sensu dato
in hoc ipsum scrutati sunt. et invenerunt et scripserunt inventa. et legenda posteris
mathematica — tradiderunt. Logicam. ethicam. et ~~mathematicam~~. et phisicam. de forma ratiocinationum.
et vite. et morum institutio nature decentium. de dispositione et ordine. et
causis. et proventibus rerum omnium. Et invaluerunt in parte hac ut verum ap
prehenderent. quoniam et hec veritas per eos administranda erat. que non erat ad
vitam. quia filii vite non erant. Ideo datum est illis propter nos quibus consummatio ser
vabatur. et inchoatio parabatur. ut invenirent veritatem illam. quam oportuit
suscipere filosofie. ad obsequium summe veritatis. cuius labor ipsis appositus est.
his fructus servatus est. Et in his omnibus lumen intelligentie. et acumen ingenii.
sensus et virtutem ad documenta prima perceperunt. in quibus creaturarum lumen.
et modum nature inferioris secundum formam rationis insite subtiliter discusserunt. No
vissime theologiam pro ratione divinorum. et scrutatione invisibilium quasi consumma
turi sapientiam addiderunt. et ut ipsi putaverunt consummati sunt vere amissuri. et veram
non invenerunt. Nam ibi corruere ceperunt in mendacia figmentorum. et assumpserunt species
visibiles. simulacra divinorum ut invisibilia viderent per ea que videbantur.
et erat ibi simile aliquid sed de longe ostendens quod querebatur. neque lucem in
gerens oculis caligantibus. Natura enim ad servitutem condita. creatorem suum de
monstravit. sed erat similitudo peregrina ad excellentem et dominantem maies
tatem. neque potuit evidentem declarationem invenire in his omnibus illa
que docenda fuerat natura. quoniam et ipsa sana non erat. ut in tantum clarescat in
hutt — contemplatione. Non enim que per gratiam exemplaria formabantur ad sanitatem visi
onis intime. neque archana sapientie noverat. et conditorium thesaurorum. carnem ver
bi eterni. in ipsius humanitate sed natali solo documento utens. lippienti
acie luminis nubilum. et ambiguum adducens. speculanti in rerum creaturarum specie conte
mplabatur. Propterea erraverunt et evanuerunt cum transire vellent intra ea que sola nosse
acceperant. et palpantes estimationibus ad ea quidem non poterant. ceci inventi
sunt qui se videre putaverunt. Hec sunt simulacra errorum que theologia sic enim vocaverunt